Q. D. B. V.

# DISSERTATIO MEDICA

De

# VOMITORIIS RITE ADHIBENDIS,

Quam

Consensu & Autoritate Gratiosissimæ Facultatis Medicæ in Illustri Salanâ,

PRÆSIDE

*Viro Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo, atque Experientissimo*

DN. GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO,

Medic. Doct. ac Theoretices Profess. Publ. celeberrimo, Medico Ducali Saxon. feliciss. S. R. I. Acad. Natur. Curios. Collegâ primario,

*DN. Præceptore ac Promotore æviternùm devenerando,*

Publico Eruditorum examini submittit

RESPONDENS

JOHANNES CHRISTOPHORUS Zopff Geranus,

*Ad diem Martii Anno M. DC. LXXVI.*

---

JENÆ,
TYPIS SAMUELIS KREBSII.

VIRO

*PERQUAM REVERENDO, AMPLISSIMO ET EXCELLENTISSIMO*

# DN. M. JOHANNI CASPARO ZOPFIO,

SS. THEOLOGIÆ BACCALAUREO, ECCLESIÆ GERANÆ PASTORI, EJUSDEMQUE ET VICINARUM SUPERATTENDENTI DIGNISSIMO, CONSISTORII ADSESSORI GRAVISSIMO, ET GYMNASII INSPECTORI PRIMARIO,

*PARENTI SUO PLUS OCULIS DILECTO ET AD ARAS USQUE DEVENERANDO,*

PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS SUBMISSA ET FILIALI DEVOTIONE, CUM PIO OMNIGENÆ PROSPERITATIS VOTO,

*OFFERT*

JOHANNES CHRISTOPHORUS Zopff.

# PROOEMIUM.

VEtus dictum est, durum nodum durum requirere cuneum; id verò & in medicinâ valet quàm maximè. Non licet semper palpum obtrudere & abblandiri corpori, sed crudelem sæpe oportet esse, attamen unà gratiosum medicum.

Neque sola chirurgica ἐγχείρησις in hoc spectanda est ingratior, est etiam in medicamentis sæpe opus quâdam violentiâ, ut quod intimius insedit, fortiori eradicetur impetu.

Ἐξεμέσαι sæpe oportet τὸ νόσημα, & invertere naturæ ordinem, ut eandem sartam ac illibatam præstemus, & benè seu pro salute suâ agentem sequamur. Est, ubi fine suo frustratur eadem, sed cur non abuti quasi cum illâ quandoque liceat ventriculo, ut repurgemus Augiæ stabulum, & saburram vitiosam excutiamus?

Non deest tamen in his quoque gratia, nullo quippe magis medicamento ægris, nec id opinantibus, imponi potest, quàm vomitoriis. Ast gladius in manu furiosi sunt generosa hæc præsidia, nisi rectè utentem nanciscantur. Scrutabimur hunc in finem nos hâc vice horum administrationem concinnam, cui cœpto ut supremum annuat Numen, vovemus!

## CAPUT I.

## De indicantibus vomitoriorum.

CAcochymia uti varia est, pituitosa, biliosa, serosa, melancholica, prout etiam vel intra vasa magis continetur, vel extra ea hîc illîc colligitur & continetur; ita etiam

variis eget præsidiis *κενωτικοῖς*, quibus evacuetur & elimine-tur. Peccat enim non solùm substantiâ, quantitate, qualitate, sed & loco, modo, motuque; hinc etiam pro horum modulo regulanda est aphæresis.

Inter ea, quæ proximiùs evacuant, sunt VOMITORIA, quæ aliàs quoque dicuntur *Emetica*, uti ♀ri emetici, sirupi emetici, emetici regalis & alia nomina nota sunt.

Notabile nomen est *syrmaismus*, quod apud ipsum *Hippocratem* occurrit, *l.1. de artic.t.35.l.8.* ubi ἐμέειν ἀπὸ συρμαισμοῦ jubet, seu ex moderato aliquo medicamento vomitum ciere. Hæc vox notat quidem latiori significatione levem seu mediocrem purgationem, sive per alvum, sive per vomitum fiat, teste *Galeno, comm. 2. in l. de artic. t. 51.* quam vocant minorativam; magis tamen vomitioni leniori competit, quam præstabant olim, teste *Galeno l.c.* tùm aliis medicamentis, tùm inprimis surculis hellebori albi in raphani radicem defixis, ac raphanis ipsis hinc postero die vel solis, vel ex aceto mulso comestis, quam in rem etiam videri meretur *Langius l. 2. epist. 48. p. 788.* Hinc etiam *συρμαΐα* audit tum raphanus, tum alia quibus evacuatio illa præstabatur. Hinc ita nominantur à *Diocle* apud *Paulum l.1.c.100.* οἱ νήστεις ἔμετοι, *vomitus jejuni*, *helleborismi* etiam inde nomen subnatum est.

Vomitoria sunt *ἄνω* Purgantia, uti purgantia propriè dicta *κάτω* operantur; ex quô patet, non differre purgantia & vomitoria *vi agendi*, & *fine generali*, utraque enim irritant, utraque evacuant, nec *fine* æquè *speciali*, nisi *à posteriori*, nullum enim est vomitorium, quod non etiam *κάτω* agere possit, nec purgans, quod non etiam per superiora evacuare. De quô vid. inprimis *Walæus M. M. p. 21. 22.* sed differunt *gradu*, & diversitate acrimoniæ ⊖lino-🜍reæ irritantis volatilioris vel fixioris, uti alibi id disquiremus latius. Quo enim majorem agendi energiam medicamentum aliquod possidet, eò etiam citiùs eandem exsequitur. Hinc patet, purgantibus fortiora esse emetica & citiùs operari; pro ventriculi enim & humorum dispositione diversum sortiuntur ef-

fectum.

fectum. Unde observamus, maximè etiam materiæ sequacitatem esse attendendam, sæpè enim datum δatum vomitorium, solùm *κάτω* operatum fuit, & sæpè purgans *ἄνω*, non per inferiora. Sic in hydropicis raro vomitoria *ἄνω* operantur, frequentius per *τὰ κάτω*, quia humores acres, salini, acidi, quibus abundant, & figunt ipsorum vim ex parte, minus versus superiora inclinant.

*Inventio* vomitoriorum debetur naturæ ipsius ductui, cum enim Medicus naturæ sit minister, & vero hæc sæpissimè spontaneis vomitibus à materiâ vitiosâ, qualitate & quantitate peccante, se à morbo liberare soleat, facile & in promptu fuit, hoc passu eandem imitari, præcipuè cum quibusdam animalibus, ut canibus, esu graminis id frequenter admodum contingat.

INDICANTUR nempè Vomitoria (1.) à *materiâ*; Non-entis enim, ut ita loquar, nulla sunt vomitoria, i.e. si positivè nulla adest materia, quæ sui excretionem *ἄνω* efflagitat, frustra ea quis propinaverit. Hinc falluntur Medici insigniter, qui in senibus, ob calorem nativum debilem & deficientem inappetentiâ laborantibus, conantur vomitoriis rem exequi, quæ causa potius privativa est, unde citius ad tumulum eosdem præcipitant.

(2.) à *mobili materiâ*, & *ἄνω* viam poscente, unde varia ejusdem consurgunt indicia, & quidem quæ aliàs præconis instar vomitum adfore innuunt, v. g. nausea, quæ nihil aliud est, quàm vomitus in fieri, os amaricans, præcordiorum dolor, tumor, sputum copiosum in faucibus, labii inferioris tremor, ob tunicam ori & ventriculo communem, cardialgia & faciei pallor, quæ singula ferè vel saltim pleraq; præcedere solent vomitum. Adeoque hæc potissimùm fiunt eâdem in ventriculo existente, nec naturæ obsecundante, unde eandem eliminare satagit; quam in rem egregiè *Cous 4. aphor. 17.* non febricitanti, *ait*, cibi fastidium, oris ventriculi morsus, vertigo tenebricosa, & oris amaritudo purgatione per superiora opus esse significant.

Nihilominus tamen etiam (3.) par ratio est, si *materia in*

*ſecundâ regione*, vaſis meſaraicis v.g. vel *in tertiâ* circa exortum nervorum hæreat, & ad ventriculum vel vergat, vel redundet, & cum eôdem communicet.

Ex quibus patet, locum habere emetica, peccante materiâ vitioſâ potiſſimùm quantitate, ſive in ipſo ventriculo hæreat, vel ab errore externo vel corruptione & concoctione læſâ nata; ſive aliunde ad eum vergat & tendat, ſeu etiam in aliis partibus vitium hærens per communicationem & conſenſum cum ventriculo revelli & exturbari poſſit. Sic lacte coagulato in ventriculo optima ſunt vomitoria, ubi ſæpè inſtar farciminis caſeoſa materia ejicitur, quale exemplum refert *B.Rolfincius Ord.& Meth.M.S.Comment.l.2.ſ.3.c.59.* ſic in adſumtis venenoſis & noxiis optima ſunt; *Excell. Dn. Præſes* curavit puellam, quæ ſemen hyoſcyami devoraverat, ſolo vomitu, uti & exemplum ſimile habet *Helmontius.* Ea ſcilicet ventriculi eſt natura, ut amica ſibi avidè amplectatur, adverſa reſpuat, & ſtatim primam quaſi labem inde recipiat. Unde mirandum eſt naturæ artificium, quòd ſæpè juſculum nunc primùm à nobis datum vomitu non exigit, ſed ſuccum è ventriculo noxium, quod plus quinquagies ſe vidiſſe refert *Scaliger exerc.335.*

Communicatur hæc materia aliunde cum ventriculo, & vice verſâ à ventriculo cum aliis viſceribus, mediantibus ductibus, ut tum viâ apertâ ex inteſtinis ad pylorum, undè ſæpè illuc regurgitant humores bilioſi & acidi, tùm vaſis arterioſis & venoſis, tum etiam ipſis nervis, in adfectibus capitis, uteri, & aliarum partium, quibuscum mirus ipſi intercedit conſenſus.

Notamus etiam Vomitum indicari quandoque *intentione primariâ*, ut evacuatio & depletio humorum fiat, oppoſita repletioni *2.aph.22.* in caſibus præcipuè jam dictis; interdum verò intentione *ſecundariâ*, ut, ipsâ actione & concuſſione, ſeu abdominis muſculorum ſeu capitis partium, finem alium conſequamur. Sic in partu difficili, quando fœtus juſtâ poſiturâ inſtat, adhibitis cautelis, quas recenſet *Rolfincius Chim. in A. F. Redact. libr.5. ſect. 6. c. 13.* tantum ea ratione adhiben-

bentur quandoque, ut ſuccuſſatione & compreſſione muſculorum abdominis verſus inferiora, excluſio fœtus procuretur. Sic & in Apoplexiâ idem ſæpè fit, ut beneficio nervorum vi ad caput diditâ, ipsâ motitatione ſeu excuſſione expugnetur obſtructio ſpinalis medullæ; fitque id utrobique per accidens, ubi ſimul materia non hæret in primis viis, exinde tamen vis vibrari poteſt ad alias partes.

Finis ſcilicet primarius vomitus ſeu effectus eſt *evacuare*, ſecundarius etiam *revellere, alterare, excutere, ſiſtere* quandoque, ſed ille per ſe, hic per accidens magis.

Videas Autores, qui ſolis ferè vomitoriis in morbis quibuscunque curandis utuntur. Sic *Rulandus* ♁â ſuâ benedictâ, *Faber* & *Langius* emeticô regali, *Riverius* febrifugo ſuo, *alii* ☿rio vitæ omnes aut pleroſque ſaltim affectus præſumunt curare, quibusdam ignorantiam, aliis opinionem, cæteris ambitionem prodentibus.

Fatendum tamen eſt, Empiricos audaciâ hâc ſuâ plures chronicos & rebelles morbos curare, & contra deplorandum, quosdam nimis religioſè reformidare vomitoria, ſeu ægros ſeu Medicos.

Verum eſt, violentiâ quâdam conjunctâ operari, ſed illa eſt tranſitoria, & conſequenti eminentiori juvamine gratior eſt operatio. Notabile tamen eſt, ob hanc ipſam violentiorem operationem, quòd vomitoriis nec temerè nec timidè utendum ſit, id quod *Galenus* eleganti ſimili explicat, *comment. 1. l. 6. epid. aph. 6.* innuens, Vomitoria habere locum, ubi morbus quaſi vectibus eſt expellendus.

Sed ut redeamus in viam, diverſa per vomitum ventriculus ejicit, undè repetimus vomitum indicari à materiæ præſentiâ, quæ nec ad inteſtina deducitur, nec utilis eſt, quæ adſervetur, unde gravat, ſtimulat, & varia de ſe indicia præbet, quibus natura patefacit, quantum negotii ipſi detur, & quàm intendat, onere iſthoc ſe liberare. Materia eſt *humoroſa*, varia; ejicere tamen magis mobiles, leves, bilioſos & acres humores annititur ſtomachus, omnesque adeò reliquos, quicunque tandem per ſuperiora evacuationem deſiderant,

tum

tùm pituitosos, qui inviscant ventriculi parietes & appetitum destruunt; tùm, præter biliosos jam dictos, & melancholicos. Visum enim sæpè est, humores sursum rejectos adeò acidos quosdam fuisse, ut dentes stupefecerint. Verbo; ii humores potissimùm evacuantur per vomitum, qui in εὐρυχωρίᾳ seu cavitate & capacitate ventriculi resident, dein quoque ob viciniam, quæ in intestinis tenuibus, liene, cavis jecoris & pancreate ejusque ductu continentur.

Non sufficit tamen quòd talis materia adsit, & sui indicationem det, sed & quò vergit natura, Medicum promovere oportet. Patefaciunt id etiam, vergere nempe ad superiora, præter jam dicta, ructus, qui si adsunt unà, præsumitur certè, humores istos vel in ventriculo ipso vel propinquioribus partibus contineri, item respiratio difficilis sæpe, & alia.

## CAPUT II.

## *Permittentia & Prohibentia vomitum inquirit.*

SPectanda etiam veniunt PROHIBENTIA & PERMITTENTIA. PROHIBENT vomitum (I) EX REBUS NATURALIBUS *habitus corporis obesus*, tùm (1) quia obesiores pulmones ferè habent angustiores, undè facilè ruptio alicujus vasis inferri potest; (2) tum quia pondus ipsum abdominis hisce violentis conatibus resistit, vid. *Heurn. IV. Aph. 7. num. 4.* undè anxietas ipsis major exoritur, (3.) humores habent minus fluxiles, uti notum est, minus etiam esse biliosos eosdem.

Nec omnes tamen obesi & carnosi, nec omnes graciles facilè æque ferunt vomitum, conjungendæ igitur sunt circumstantiæ aliæ.

II. Ratione *sexus*, mulieres quidem & virgines optimè ferunt vomitum, non tamen conveniunt æque & propriè dicta in *gravidis*, præcipuè si dispositæ sunt ad abortum, leniora verò quandoque convenire, patet è vomitibus spontane-

taneis, quibus primis mensibus satis graviter vexantur gravidæ, cautè tamen; neque in *puerperis*, quia hoc modo facilè debilitantur magis ligamenta uterina, & vires dejiciuntur jam dum debiles. Novimus hoc modo medicum, datâ emulsione vomitoriâ, deprecante licet Puerperâ, varia excitasse symptomata, quæ in plures duraverunt annos.

III. Ex rebus p. n. plures *morbi* & symptomata prohibent vomitum, vel limitant saltim, non conveniunt v. g. (1) in *Lipothymiâ*, inprimis familiari, seu qui familiariter & facilè Lipothymiam patiuntur, & ad eam sunt dispositi, iis vomitoria non facilè danda, excitatur enim statim symptoma; aliàs ubi ipsius adfectus hujus causa contenta est in vicinis partibus, vel in ipso ventriculo, maximè conveniunt hæc ipsa, e. g. in esu fungorum venenatorum, ubi sæpè oritur cardiogmus & lipothymia, tunc statim confugimus ad Vomitoria.

2. Vomitoria non conveniunt in *acutis*, turbant enim magis humores, nisi consentiat enormiter & in causâ sit ventriculus. Neque enim licet universaliter concludere: ventriculus laborat, ergò vomitorium est dandum; ergò ventriculus est subjectum primarium. Hinc in malignis, *Peste*, *Petechialibus* propriè non conveniunt, in morbo autem Hungarico à victus errore multis collectis cruditatibus magis id licet, sed statim in principio. Experientia quidem testatur, adsumta vomitoria in febribus acutis initiò sæpè superata esse à naturâ, sed cursu suo nihilominus progressa est febris. Ergò ad antecedentem victum est respiciendum, & quid indicet.

In *Chronicis* verò & confirmatis morbis plurimis vomitoria sunt laudatissima, imò multi Chronici fiunt, quòd vomitoria omissa fuerint, cum eorum sedes utplurimùm hæreat circa primas vias, in pancreate, mesenterio, liene & aliis.

3. Non in *inflammatione partium* internarum, ne noxa major eveniat.

4. Non in *erosione Ventriculi*, ubi omnia assumta ob ἀκαταπόθειαν ejiciuntur. Hinc enim noxa major in ventriculum redundat, & tunc potius demulcenda & præcipitanda est acredo.

5. Non in *adfectibus oculorum* & *capitis* quibusdam eſſentialibus, niſi cautè. Caput enim omnium maximè laborat in vomitu, ob nervos ſextæ conjugationis, qui conſenſum ventriculi cum capite faciunt maximum. Vomitus etiam laborioſior pupillæ dilatationem aliaque mala infert, ideòque eo caſu, ubi caput laborat ſimul, faſciâ ex linteo arctâ obduci poteſt, & oculi ſtrophiolo tutandi.

6. Non in *læſionibus Pulmonis eſſentialibus*, ſi v.g. inflammati ſint, ut in peripneumoniâ & pleuritide, non in diſpoſitis ad Phthiſin ac hæmoptyſin, multò minus in ipsâ Phthiſi *4. Aphor. 8.* & hæmoptyſi. Vidimus aliquot Phthiſicos ab Empiricis tractatos hoc pacto acceleràſſe ſibi mortem, qui diutius adhuc vivere potuiſſent. Ideoque qui malè vult Phthiſicis, eos vomitoriis aggrediatur, & ad acidulas mittat. His duobus ſanè plurimi mortem mercantur citam. Concedunt quidem nonnulli in Phthiſi incipiente, minus in confirmatâ vomitoria, ſed abſtineri malimus, ſi ſc. ſermo ſit, uti eſt, de vomitoriis propriè dictis, nec urgentior quædam adſit alia cauſa, cujus reſpectu, non curando phthiſeos gratiâ, cogatur quaſi ad aliquod lene medicus. Non conveniunt etiam eadem, ubi pulmones adnati ſunt.

7. Non facilè in *Hyſtericis Paſſionibus*, ſeu ad eas diſpoſitis, niſi δυσεμεσία & materiæ in ventriculo præſentia urgeat, quia potius revellendi quàm ſuperius trahendi humores, aliàs hujus antecedentis ratione, & extra ſtatum paroxyſmi magis mitiora optimè locum habent, modò non ad lipothymiam ſint diſpoſitæ. Hinc *Langius in miſcell. curioſ. p. 13.* de ſe ſcribit, ſe & ob hanc cauſam ſecum ſemper geſtaſſe ⊖ ⊕li. Diſtinguenda nimirum ſunt ſymptomata hyſterica, quædam permittunt, quædam minus.

8. Non in *procidentiâ uteri, herniisque* tùm in viris, tùm in fœminis, quia verſus inferiora propulſio fit major. Imò ſæpè ob vomitoria fortiora herniæ oriuntur.

PERMITTUNT contrà ea in genere *virium conſtantia, ad vomitum proclivitas*, unde & ipſi infantes optimè ferunt emetica correctiora, *conſuetudo, habitus gracilis, tempus anni vernum & æſtivum*.

Caven-

Cavendum quàm maximè eſt in uſu vomitoriorum, ne quid detrimenti respublica microcoſmica patiatur. Hinc vires ſunt ſpectandæ, tùm præſentes, tùm futuræ, an tolerare id poſſint, nec ne. In reſolutione virium nunquam danda ſunt vomitoria, unde culpandi ſunt illi, qui in extremo naturæ conatu ſeu agone quaſi tentaturi ultimum remedium propinant Emetica; ſin oppreſſæ ſint ob humorum gravantium copiam, vomitoria tantum abeſt ut prohibeantur, ut potiùs quàm maximè proſint.

Qui facilè vomunt, tutiùs ita purgantur; qui difficulter, & qui vomere non poſſunt, non cogendi; unde in vomitu difficili per inferiora purgandum eſt. Plures enim dantur, in quibus vomitus maximum laborem facit, ut quidvis potiùs ſuſtineant, quàm vomitum. Cùm verò robur naturæ id notet, ſi quis violentiori emetico deſtruere illud tentet, contra naturam fecerit, majorem noxam remedio inducendo.

*Conſuetudo* multum invitat tùm ratione ægri ipſius, tùm ratione loci, ubi degit. Notandum tamen, quòd ex culinâ non ſit facienda cloaca, ſeu ut *Riolanus libr.2.Enchirid.anat.c.23.* loquitur, nemo ſapiens ex ollâ coquinariâ facit matulam, ideoque hæc conſuetudo non tàm adfectata intelligitur, quàm facilis tolerantia, facilis vomitio, facta aliàs vel ſponte à repletione, vel medicamento.

*Habitus gracilis* reſpectu obeſioris permittit, unde *Hippocr.4.aph.6.* graciles & facilè vomentes purgare ἄνω præcipit, caventes hyemem, intelligendo nempe vomitum generalem, ut, quod toti negotium faceſſit, ejiciatur. Nam qui pro particulari, ſeu ſolius ferè ventriculi vitio corrigendo inſtituitur, quovis tempore licitus eſt.

Intelligendi verò ſunt graciles non à morbo, ſed à naturâ ſeu temperamento & habitu. Neque enim omnis, gracilis qui eſt, etiam diſpoſitus ſtatim eſt ad Phthiſin, hinc gracilitas ſpectanda eſt ratione cauſæ & ſubjecti. Inprimis enim corporis conſtitutio πτερυγώδης, quaſi *alata*, ubi alarum inſtar prominent ſcapulæ, prohibet vomitum, illa enim ad Phthiſin magis diſpoſita.

Hinc qui venas ſanguine diſtentas ac carnes graciles

 ha-

habent, modò simul facilè vomant, id est, si capite firmo, amplo pectore, collo longiori, facilius ferunt vomitoria.

*Tempus anni* aptius est æstivum, elogio 4. *Aphorism. 4.* qui medicari æstate superiores magis, hyeme verò inferiores præcipit; Aestate enim agiliores sunt humores, licet in nostris regionibus, ut rectè monet *Heurnius comment. in h. l.* pituitescant ferè magis succi, neque ita bilescant, ut in calidioribus. Unde *Celsus* quoque *l. 2. c. 14.* nec æstate rectè dari, optimè vere, tolerabiliter autumno scripsit.

## CAPUT III.

## *Modus administrandi vomitoria describitur.*

QUod ad legitimum administrandi eadem modum attinet, jam quid potissimum observandum ratione temporis adsumendi, circa vehicula, actum vomendi ipsum & affectus, quibus conveniunt magis, paucis inquiremus.

Ægyptii singulis mensibus, teste *Herodoto in Euterpe* utebantur vomitoriis. Græci etiam sæpiùs vomebant, unde & *Martianus* observat, veteres præservationis gratià solo vomitu esse usos, nunquam purgatione *libr. de nat. hom. v. 53.* sunt imò, qui vulgò scribunt quidam, sanitati prodesse, si singulis mensibus ebrietas concilietur ad excitandum vomitum, id quod tamen morbum inducere est, ut sanitas inde fiat, peccare ut absolvaris. Sine causâ proin frequentanda non sunt tàm temere.

Danda sunt vomitoria, nisi necessitas aliud imperet, manè potissimùm, quatuor circiter horis ante cibum, tunc enim *felicius* operantur. Post prandium seu post cibum sumptum eadem commendant nonnulli, sed cum adhuc vasa lactea chylo turgent, metus est, ne motus ejus impediatur, & natura magis in cibo, quàm aliis humoribus exturbandis sit occupata. Utut enim natura, si rectè agit, sapè, quod diximus suprà ex *Scaligero*, retineat jusculum, humores verò ejiciat peccantes, fieri tamen non potest, quin si coctionem expe-

expectet chylus in ventriculo, vomitorio dato exturbetur ipse, & promptius remaneat materia peccans. *Facilior* tamen post cibum sumtum est vomitus, & certum est ex praxi, melius succedere eundem, si quadrante horæ antè detur jusculum aliquod, vel aliud cibi genus humidioris. Illud enim exhibitum non modò lubricitat ventriculum, sed & partes tenaces quodammodò disponit ad separationem faciliorem; vel etiam ob eam causam, quòd minori cum molestiâ sic vomatur. Ventriculus enim jejunus ægrè impellitur, unde etiam eleganter *Celsus l.c.* Quisquis, *ait*, daturus erit vomitoria, id agere debet, ut accepturi corpus humidius sit.

Juxta Astrologos illud tempus aptius statuitur, quando ☉ est in signis ruminantibus, ♈, ♉, ♑.

Ante usum vomitoriorum minus opus est præparantibus, nisi forsan, quando pituita lenta ventriculo adhærens evacuanda est, incidentibus & detergentibus aut potius aperientibus quis uti velit.

Quæri etiam potest, an concoctio humorum expectanda sit priùs quàm adhibeantur, ceu aliàs in purgantibus ad febres id observari solet. *Massaria* id adfirmat, & post coctionem propinanda vult; sed id non opus est tùm ob proximitatem viæ, tùm quia materia indicans vomitum magis extra vasa est.

Veteres eligebant utplurimùm in emeticis formam liquidam præ solidâ, id tamen non æque opus est, modò vehiculum ipsum sit aptum. Debet enim esse v. g. (1.) *sufficiens*, ut satis lubricitet, & materiam emolliat. Nisi enim sufficiens quantitas adsumatur, sæpè vel anxietatem tantùm & nauseam cient, movent non promovent, vel difficilior vomitus consurgit. Hinc præstat non solùm ab adsumto emetico subinde repetere vehiculum, sed etiam quando jam ipsummet operatur, per vices eodem adjuvare vomendi actum.

(2.) *Tepidum*. Tepida enim omnia movent vomitum, quo de elegantissimus locus extat in ipsis sacris *Apoc. III, v. 16.* ubi Salvator minatur, quòd Ecclesiam Laodicensem, cum neque frigida esset, neque calida, sed χλιαρὸς, *tepida*, vellet ἐμέσαι ἐκ τοῦ στόματος, *evomere*. Magis enim hæc nauseabunda sunt,

magis ſubvertendo ventriculo idonea. Magis tamen calida admitti poſſunt interdum, quàm frigida, quæ ſenſum obtundunt.

(3.) *Pingue.* Oleoſa enim & pinguia, lubricantia & mollificantia tonum ventriculi itidem ſubvertunt, ac orificium ſuperius laxant, ut tàm arctè claudi nequeat. Unde accedente inprimis irritatione & ſtimulo ſalino, adſumta à conſtringente ſe ventriculo compreſſa citiùs ſurſum ad gulam feruntur, quàm ad pylorum, & rejiciuntur. Notandum tamen, quod rectè monet *Claudin. l. 2. de ingreſſ. ad Infirmos c. 3.* Oleum ſeu pinguia minus convenire in ventriculo debiliori, quia valdè eum laxant, unde in febribus ab iisdem abſtinendum jubet, quia perpetuo in iis ventriculus lædatur. Intelligendum verò id eſt de immoderato uſu, moderatus non nocet; de vomitoriis pinguibus, quæ non purgant niſi copiâ, non item de vehiculis paulò pinguefactis.

(4.) Sunt, qvi & *ingrata* volunt eſſe vehicula, ac ipſa etiam vomitoria, ut nauſeam eò facilius Archæo moveant. Verùm etiam id minùs obſervatur, niſi per ingrata, hæc ipſa recenſita tepida, pinguia, & plùs quàm appetat ventriculus & admittat quaſi ingeſta, intelligas, quâ ratione conjunctim ſpectata ingrata ſunt reverà. Aliàs verò id non valet, & cavendum potiùs, ne ingrato medicamento gratiam, quam in ſe non habet medicamentum, minorem fœneremur.

*Actus vomendi* ipſe acceleratur, præter ſubinde, & ipſo etiam jam ſubſequente vomitu, adſumtum vehiculum, digito in fauces ſeu gulam immiſſo, ut ſtimulato œſophago promptior exeat materia. In infantibus etiam hunc in finem digito lingua ſolet comprimi, utrobique verò digitus oleo amygdalorum dulcium poteſt illini.

Poſitus corporis & maximè capitis ad pronum vergere debet, & manu vel ægri vel alterius detineri pauliſper ſynciput, comprimi item leniter hypochondria, ut ſubverſio fiat facilior, minorque læſio.

Juſculum ipſum conſtituit cerevifia tepida, vel etiam cerevifia ſecundaria, juſculum ptiſanaceum, aliudve, hoc

ipſum,

ipsum, si debilior æger videatur, & promovet vomitum, & sistit, quatenus sufficienter evacuat, & debiliori naturæ opem fert.

Convenit & *motus*, ut in purgantibus, quia sic magis commoventur humores; unde non in lecto decumbere, sed deambulare commodum est.

Ejiciuntur vero per vomitoria, ♁niata inprimis, non solùm aquea, & alba, si mitius operentur & debiliùs, sed & flava & viridia, si perfectius. Dubiumque est apud autores, an color ille debeatur humoribus ipsis, an verò à medicamento fuerit inductus. *Walæus* quidem & alii, vim illam tingentem medicamentis adscribunt; sed optimum est, si dicamus partim medicamento, partim humoribus id attribuendum esse. Medicamento quidem, quia ⊖ illud 🜍reum ♁niatum seu aliorum quoque acrimonia salina volatilis stimulans procul dubio invertendi humores & alterandi maximam habet vim, seu fermentatione citiore id fiat potissimùm, seu præcipitatione & solutione; humoribus verò, quatenus irritatione etiam majori factâ, revulsione quâdam biliosi humores aliique regurgitant & ad ventriculum vocantur, unde nonnunquam etiam amara penitus, præsertim ultimis vicibus, nonnunquam acida evomuntur.

Post vomitum conveniunt (1) abluitiones & eluitiones faciei cum vino vel tantùm, quod melius est, cum aquâ frigidâ vel rosaceâ. (2) Sunt, qui lac dulce cum pane candido exhibent, ut œsophagus & ventriculus iterum demulceatur. Optimè verò vomitoriis superadduntur roborantia stomachica & cordialia, inprimis, si ultra, quàm ferre possit natura, operentur, quo casu eadem conveniunt quæ in hypercatharsi à purgantibus, & eò quidem præsentiùs, quò minus hæc patiuntur moram. Vehementiora enim & μοχθηρὰ nimis debilitant ventriculum, & humores commovent ac sanguinem, unde novimus ab ♁niato fortiori vomitum sanguineum ortum, qui tandem decocto menthæ rubræ crispæ curatus fuit. Conveniunt enim omnia ∽uosa & aromatica, partim & præcipitantia humorum motum; sic observa-

vit

vit *Sennertus*, vomitus ab ♁niatis concitatos solo ♀ curatos esse. Opiata verò omnibus his, quæ latiùs repetere hoc loco supersedemus, palmam præripiunt.

## CAPUT IV.

## *Usum vomitoriorum in specialibus affectibus delibat.*

QUod *actionem* vomitorium & *usum* concernit, alius est *generalis*, vomitoria enim totum corpus expurgant, ut hactenus diximus, alius *specialis*, qui huic vel isti membro in specie competit.

In *febribus intermittentibus* laudatissima sunt vomitoria, unde experientiâ constat, opportunè usurpata vomitoria præstantissimum edere effectum, tùm in aliis adfectibus, tùm in febribus intermittentibus, in quibus etiam ante paroxysmum quandoque præberi solent, si mali perduret contumacia, quod ipse fecit *Hippocrates l. de affection.* Hoc modo enim causâ ablatâ, quæ ab aliis medicamentis sæpe intacta relinquitur, feliciter tollitur febris, non solùm si ab errore externo ortum duxerit, verùm etiam si profundius radicetur, unde non injuriâ vomitus & *quartanæ* dicitur ῥιζότομος.

Neque obstat, jam tum in tertianis v. g. urgere vomitum, quin potius conatu hoc suo natura ea ipsa indicat. Maximè autem in quotidianis id valet febribus, ubi pituitosi humores utplurimùm in ventriculo restagnant, & aliis, quæ hujus culpâ & repletione eveniunt, & inde denominationem accipiunt, quarum mentio quoque fit apud *Co m, l. 4. de morb. c. 23.*

Ad *affectus capitis* eleganter *aphor. 18. s. 4.* adplicari potest, supra septum transversum dolores purgatione indigere per superiora tradens, quicunque verò inferiora molestant, per inferiora, subintelligendo ea, quæ evacuari hoc modo desiderant, non tàm vaga, quàm infixa quasi.

Si per consensum ventriculi *doleat caput*, vomitoria ex usu sunt: in Cephalæa verò & ubi caput per se debile est, minùs. Superior nempè venter, uti maximè cum ventriculo com-

communicat, ita etiam præ medio eadem admittit & desiderat.

In *vertigine* vomitum movere consultum est, si cætera sint paria, & à positivâ magis, quàm privativâ causâ seu debilitate spirituum proveniat. Par ratio est *Incubi*, unde exempla incubo laborantium per vomitum curatorum recenset *B.Rolfincius Epit. affect. partic. l.1. c. 1. c. 17. p. 63.*

*Epilepsia*, uti Herculeus est morbus, ita quoque vix citra herculea remedia expugnatur. Hinc non sine causâ *Trallianus l.1. c.15.* eadem mirè commendat in omnibus comitialibus. Hinc certum est, ea & in infantibus sæpe, & in adultis, ubi malum quasi radicatum est, singulare afferre emolumentum; imò potissimum & ferè unicum, nisi quid obstet, non rarò constituere præsidium.

In *deliriis*, & potissimùm cum quâdam hilaritate insanientibus maniacis, ut & Melancholicis utilissimè adhibentur sæpiùs vomitoria, tùm quia in omni deliriorum genere, præcipuè antiquatis, licet essentiale vitium capitis videatur, debent attendi simul hypochondria, & infimus venter, tùm quia sæpissimè fingunt, *v. g.* se alere serpentes, bufones in ventre, quo modo falli possunt; tùm quia maniaci sunt debilitandi, ut dehinc melius medicamenta alia possint succedere, & qui alia cuncta eludit morbus, à generoso hoc præsidio medelam sibi fœneret.

De *Apoplecticis* dubium movent quidam autores, quòd suffocationis periculo subjiciantur ægri, verùm cùm sæpiùs observetur, pro Apoplecticis concidentes spontaneo naturæ robore vomitu fuisse liberatos; cùm etiam maximus, uti diximus, sit ventriculi consensus cum capite, ut quoad causam ita etiam quoad remedium, utilissimè se in appoplexiâ propinâsse adfirmat *Excell. DN. Præses*, præcipuè in leviori, & potissimùm in aphoniâ vomitoria. Reverà vecte hîc opus est, seu subitaneo auxilio, quod neque clysteres, etiam fortiores, neque V.S. vel alia tàm citò exequi norunt.

Sic & in *affectibus soporosis* eadem sæpè prosunt, cum videamus, etiam opiata, antequam egrediantur è ventriculo, somnum accersere.

In *Pectoris adfectibus*, pleuritide, peripneumoniâ, Phthisi, ipsâ etiam palpitatione cordis confirmatâ & fortiori asthmate, gibbosis &c. Plato jubet quiescere.

In *Asthmate* autem *præcordiali*, ubi à materiâ in ventriculo seu hypochondriis contentâ cum anxietate ingruit suffocationis metus, ut tenso quasi diaphragmate respiratio vacillet, nec sui juris sit, vomitoria præsentissimum sunt remedium, uti hoc ipso sæpiùs tales ægros felicissimè & quasi in momento se restituisse testatur *Excell. DN. Præses*.

Sic & in omni *repletione ventriculi* & indè ortâ *inappetentiâ*, *ructibus*, *singultu*, *dolore gravativo*, ipsoque *vomitu*, & aliis, à repletione inquam, prosunt. Et habent hoc peculiare vomitoria, quod post usum ipsorum, factâ quippe sufficiente evacuatione, appetitus mirum quantum urgeat. In *vomitu* verò & *cholerâ* leniora tantùm non asperiora valent, ut evacuetur materia promptiùs. Et ita intelligendum *Hippocratis* illud; vomitum vomitu curari.

Sic in adsumtis *Philtris* & *venenis*, non quidem æquè tàm corrosivis, si penitius se ventriculi plicis insinuârunt, quàm viscosis & mucilaginosis, ut semine hyoscyami recenti largius hausto, fungis & similibus conveniunt.

In *diarrhæâ* verò, *dysenteriâ*, *ileo*, *vomitibus hypochondriacis* nigricantibus & aliis vitiis, ubi natura vel errore quodam ad consuetudinem hanc vitiosam vomendi inclinat, vel coacta huc materiam ejicere cogitur, absint. In *hydropicis* commodè sæpè dantur. Si enim, quod aliquando fit, ἄνω operentur, multum evacuant, sin κάτω, quod frequentius, tamen ne sic quidem malè adhibentur, modò media regio benè unà habeat.

In *arthriticis doloribus*, cùm observaverit *Martianus*, quamplurimos podagricos, ob acorem in ventriculo peccantem, à doloribus corripi suevisse, liberatosque aut saltim mitigatos esse, ubi acetosa evomuissent, *comm. in Hippocr. p. 382.* sæpè etiam commodum præstant.

In *calculo* & aliis à causâ privativâ solo consensu stimulantibus ventriculum, minùs prosunt, nisi quod peccans cal-

culus

culus vomitu mediante ex ureteribus in veſicam decidat, quod *Piſo* notavit *l. de ſeroſâ colluvie p.385.*

In *menſibus ſuppreſſis* utiliſſimè ſæpè dantur Vomitoria, tùm quia cauſam tollunt antecedentem, tùm quia concutiendo vias magis aperiunt, unde ſæpè ſtatim poſt eorum uſurpationem redire obſervantur.

Sic etiam, quod ſuperius jam tactum fuit, in *partu difficili*, fœtu præſertim mortuo, quandoque proficua ſunt, ſi cæteris omnibus ritè ſe habentibus, poſitu fœtus legitimo, viribusque præſentibus concuſſio muſculorum abdominis poſtuletur.

Et hæc quidem de emeticorum adhibendi legitimo uſu, ne ulterius ultra inſtitutum progrediamur, hâc vice ſufficiant.

PÆonis ingenuam qui tractas ſedulus artem,
mox dignum noſtrâ nomen ab arte feres.

*Hæc paucula Nobiliſſ. Dno. Zopffio Med. Cand. digniſſimo, affini meo honorando, benevolentiæ ergo app.*

Rud. VVilhelmus Krauß/
Phil. & Med. D. P. P.

---

*Filum Ariadneum quicunque uſurpat eundo,*
*ex labyrinthæis victor it ille viis.*
*Qui methodum veram callet normamque medendi*
*morborum domitor perpete laude cluet.*
*Tu tantam tenus hâc tractaſti ſtrenuus artem,*
*inde Tibi Phœbus candida ſerta parat.*

Nobil. Dn. ZOPFIO amicam mentem manu amicâ teſtor, & de excellentibus progreſſibus medicis gratulor.

P R Æ S E S.

CL.

# CL. ZOPFIO
## Medicinæ Candidato digniſſimo,
Auditori & Amico colendo,
*de ſpecimine hocce medico*
*animitùs gratulatur*
## Auguſtinus Henricus Faſchius, D.
Anatom. Chirurg. & Botanic. Prof. Publ.
Archiater Ducalis Saxonicus & p. t.
Facultatis ſuæ DECANUS.

ZOPFI, Pœonii Comes laboris,
felici ſtudiô theſes reſolvis
jam, circa vomitoria implicatas.
Autor ſum, ſtudiis litare pergas
diſcendo methodum ſimul medendi;
ſic fies medicus brevi politus,
fructus ingenii ferens peramplos,
quos certè excipiet perenne Nomen!

---

*Coctum, non crudum ſtudium hæc VOMITORIA ſignant.*
*Fallor? An & docti ſigna ea ſunt Medici?*

boni ominis & fauſtæ adgratulationis ergò ſcribeb. Adfini honoratisſimo

*Caſpar Poſner, P. P.*

*FINIS.*